9 87

COELESTI DOCTORE DIRIGENTE,

DISPUTATIONEM SOLENNEM MEDICAM,

De

INCONTINENTIA URINÆ,

AUCTORITATE

Gratiosi Ordinis Asclepiadæi,

in Illustri Academiâ Vitembergensi,

PRÆSIDE

Excellentissimo Experientissimoqve;

DN. D. PAULO GOTTFREDO SPERLINGIO,

Anatom. ac Botanic. Prof. Publ. Celeberrimo,

Dno. Patrono ac Promotore suo maximoperè colendo,

PRO GRADU DOCTORIS

Summisqve in Arte Salutari Honoribus & Privilegiis, ritè conseqvendis,

Ad Diem Mart. Ann. M. D C. III C.

Horis ante & post meridiem solitis,

Publico Philiatrorum Examini Submittet

M. CHRISTOPHORUS DANIEL DISTEL

Græfenbergâ - Noricus,

Poeta Academicè Coronatus Cæsareus.



I. N. J.

PROOEMIUM.



Vod Scientiæ Architectonicæ peritos decet, eorumqve prudentiam qvàm maximè commendat, ut in ædificiis exstruendis non tantùm de fundamentis ritè jaciendis, splendidisqve tricliniis exornandis, sint soliciti; sed & atrii ac compluvii non obliviscantur, ne desuper cadentes aqvæ parietes alluant, aut fundamenta destruant: id omnium maximè Sapientissimum corporis nostri Conditorem, in Oeconomiæ animalis structurâ fingenda, effecisse cernimus, ubi osseo qvidem fundamento, musculorum ligaminibus colligato, mirabile mentis firmavit domicilium; aqvæ tamen ductuum haudqvaqvam immemor, vesicam urinariam, corporis nostri qvasi cisternam, divino formavit con-

 silio.

ſilio. Qvicqvid enim damni ab aqvarum inordinato motu ſuſtinent ædificia: id qvoqve corporis noſtri machina, à lymphæ ſuperfluæ ſecretione vitiatâ, experitur; ut non immeritò partes, liqvoribus his eliminandis dicatas, tam affabrè & ſapienter efformatas videas, tubulisqve ſuis & janitore ſolicitè donatas, Sapientiſſimum qvemqve in admirationem ſui rapientes. Sicuti vero nihil tam firmum atqve ſtabile in ſplendido hujus Terræ cernimus globo, qvod omnium temporum eludat injuriam; ita partibus qvoqve corporis noſtri, urinam ſecernentibus, ſæpè contingit, ut modò à limoſis qvisqviliis meatûs obſtruant; modò ab acrimonia humorum parietes erodantur, vel etiam violentæ manûs injuriam ſuſtineant, opeqve medicâ ſæpiſſimè indigeant. Ex omnibus his in præſens INCONTINENTIAM URINÆ ſelegiſſe ſufficiat, affectum ſanè gravem & maximè laborioſum, qvi, ſi qvis alius, generoſorum remediorum vim eludit, ægrosqve, vitæ pertæſos, morti tradit; qvorum nos ultrò miſereſcimus, & his ipſorum lacrymis Vitam dare, iisqve loco inauguralis ſpeciminis, pro viribus, ferre ſuppetias, cum DEO, laborabimus.

SECTIO I.

De

Definitione & Subjecto.

INcontinentiam itaqve Urinæ tradituri, appellamus eam involuntariam partium Sanguinis aqvosarum, earumqve effœtarum, per substantiam renum colatarum, excretionem, à læsa constrictione fibrarum vesicæ muscularium, qvæ sphincterem ejus efformant, oriundam, sic ut Urina ægrorum ingratiis eliminetur. In statu enim naturali portio ista sanguinis serosa, munere suo functa, & parte gelatinosa orbata, moleculisqve Salino-sulphureis ebria, per secretaria sua, in renibus colata, in vesicam colligitur, & vel mole, vel acrimonia fibras ejusdem & Sphincteris solicitat, Spiritusqve, in nervis harum partium excubantes, in motum cogit, qvi usqve ad animæ solium exagitati, tantum certo tempore, portam recludendo, mandata mentis exeqvuntur. Hîc vero Spiritûs vel perperam excubitorum funguntur munere, vel liqvor non audit, aut nullas invenit naturæ habenas, unde non amplius in vesica colligitur, sed per ureteres ad eam delatus, præter ægri voluntatem, tempore non opportuno profluit.

Afficitur vero primum omninm Vesica cum Sphinctere suo, qvi est interior ac angusta, magisqve carnosa vesicæ pars, qvæ collum seu cervicem ambit, & eam etiam constituit. Hic enim in statu naturali vesicam, mediantibus fibris suis, non tam rectis circularibus in orbem diffusis, qvàm obliqve magis porrectis, constringit, & efficit, ut urina in cavo vesicæ moras nectat & colligatur; in hoc vero affectu ab operatione sua

 cessat,

cessat, ostiô semper existente patulô. Sunt qvidem non pauci in musculum hunc orbicularem liberaliores, ne dicam prodigi, eundemqve modò transversalium, modò rotundarum fibrarum serie exornant, qvod ultimum etiam *Bibliothecæ Anatomicæ Collectoribus Tom. 1, p. 386.* ac *Ettmüllero*, Operum suorum *p. 383.* placet; qvia tamen accuratiores, fibras ejus ad angulos obliqvos vel semi-obliqvos, vel helicis figuram inclinare testantur, & sensus ipse eam comprobat, ideo nos qvoqve in eadem acqviescimus.

Ipsum tamen etiam genus nervosum, cum succo suo liqvido elastico, in hoc affectu à labe non est immune; & imprimis surculi nervorum, intercostalium sæpè afficiuntur, qvi *teste Vieussenio p. 392. & 394. Nevrographiæ,* in vesicam & ejus sphincterem inseruntur; qvibus alii etiam ramulos, ex medulla ossis sacri, addunt. Hanc enim ob causam senes, paralytici, apoplectici, epileptici, & omnes, qvi graviori aliqvo nervorum affectu laborant, qvandoqve involuntariô urinæ profluvio unà corripiuntur. Sæpè qvoqve partes, jam laudatæ, alienam culpam sustinent, & reliqvorum viscerum, inprimis renum, ventriculi & ipsius Massæ Sangvineæ, luunt errores, cum nulla pars in corpore nostro subcerniculorum reliqvorum & exundantis sangvinis injuriis magis subjiciatur, eorumqve vitia facilius in se suscipiat, qvàm vesica, in qvam, tanqvam in Sentinam publicam, eliminantur qvisqviliæ undecunqve cumulatæ.

SECTIO II.

DE

Causis.

CAusam immediatam, involuntarii Urinæ profluvii, constituimus fibrarum vesicæ muscularium, potissimum

mum earum, qvæ sphincterem ejus efformant, constrictionem læsam, qvæ in hoc affectu tanta est, ut actio ejus naturalis, qvæ in occlusione exacta colli vesicæ consistit, sufflaminetur. Cum enim, in oeconomiæ animalis structurâ efformandâ, Sapientissimo Conditori visum sit, ut partium corporis nostri fluidarum magis aqvosæ & emeritæ in renibus continuò secernantur; & eæ tamen, si sine intermissione extra corpus eliminarentur, madore suo genitalia foedarent, & propter admista salia roderent, multasqve alias crearent molestias; ideo, obice qvasi posito, excretionem istam interpolavit. Hic vero, variis injuriis expositus, in operatione sua multis modis turbatur, & sæpe langvidus mandato fungitur munere, interdum in opere desidiosus cessat, cum maximo totius machinæ detrimento. Sic in sexu seqviori collum vesicæ & ejus sphincter, unà cum vagina uteri, in partu difficili adeo sæpè distenduntur, ac interdum cum, interdum sine vaginæ prolapsione, relaxantur, ut tono fibrarum læso, collum vesicæ postea exactè claudi neqveat. Qvia enim in foeminis cervix vesicæ vaginæ uteri superius implantatur, & ad pudendorum externorum summitatem terminatur, necessariò illis nimium dilatatis, fibræ cervicis vesicæ qvoqve extenduntur, & de vigore suo, ac vi constringente multum remittunt. Accedit, qvod, in teneriori hoc sexu, cervix vesicæ brevior & latior sit & ad expansionem magis disposita, cum contra in viris, ista vesicæ pars magis sit oblonga ac angustior, & per mentulam excurrat. Hinc non rarò apud Practicos tales videas observationes, ubi, post partum difficilem, miseræ de involuntario urinæ fluxu conqveruntur, qvalia exempla qvoqve habent Bonettus *Med. Sept. collatit, Lib. III. SS. 27. p. 798.* &

Bartho-

Bartholin9 in uxore Statuarii, cum prolapſu uteri & ulcere veſicæ *Cent. IV. Hiſt. II. p. 213.* it. *Platerus Lib. III. Obſ. p. 755* & Excell. Dn. Præſes idem in partu primo, potiſſimum ſi fœminæ vetulæ fuerint, obſervavit.

In aliis Sphincter veſicæ & ejus fibræ omninò lacerantur, qvod cervicem omni vi conſtringente exuit, & in vulneribus iſtarum partium contingit, ut & in ſectione calculi veſicæ, ubi imperiti Lithotomi ipſas fibras ſphincteris diſcindunt, qvale exemplum habet *Scultetus Armament. Chirurgico Obſ. LXVI.* & *Schenckius L. III. Obſ. p. 486.* Interdum tamen Operarii hi, non qvidem diſcindunt fibras Sphincteris, ſed ſaltim nimium extendunt, ſi in fœminis, ſine inciſione, calculum, mediante forcipe, per meatum urinarium, prius per inſtrumenta dilatatum, extrahunt; vel veſicæ vulnus ſolito majus infligunt, & in curatione ejusdem non recte procedunt, efficiuntqve, ut labia vulneris callum contrahant, & non iterum conſolidentur, qvod qvandoqve etiam ab urinæ acrimonia oritur, juxta *Nuckium, operation. Chirurg. p. 138.* ubi poſtea urina ex vulnere continuò effluit. Lacerationem verò qvandoqve miſeræ qvoqve ſuſtinent puerperæ ab obſtetricum manu imperitâ, tam qvoad ſphinctere͂, qvàm qvoad veſicam, qvod inter alios notat *Heeri9 in Spadacrene obſ. 14. p. 194.* in primiparâ, qvæ poſtea, nec momentò urinam continere potuit. Imò in ipſo partu difficili, ſine violentâ manu, ſphincterem ruptum notat *Salmuth Cent. 1. Hiſtor. 39.* & *Platerus L. 3. obſ. p. 756.* ubi in juvenculâ ruſticâ orificium veſicæ adeò ſciſſum fuit, ut hiante rima veſica cerneretur.

Accuſat qvidem *Ettmullerus, Operum ſuorum p. 383.* Carunculæ cujusdam Myrtiformis lacerationem, ejusdemqve inſignioris, orificio veſicæ, ubi in vaginam uteri

uteri hiat, in fœminis præpoſitæ, eidemq; tribuit, ut in ſtatu naturali collum veſicæ firmet ac obduret, qvò urina retineatur. Qvia verò Carunculæ Myrtiformes ſaltim ſunt eminentiæ inæqvales ac corrugationes membranoſæ Vaginæ uteri, qvæ poſt partum maximam partem obliterantur, ideo iisdem aliqva vis occludendi collum veſicæ vix competere poſſe videtur; & hinc qvoq; non eſt veri ſimile, ab eorum laceratione urinæ fluxum involuntarium oriri poſſe, cum aliàs omnes fœminæ poſt partum huic malo eſſent obnoxiæ. Illud autem vero magis conſonum videtur, circulum iſtum tendineum vel nerveum, qvem intima veſicæ tunica illic loci efformat, ubi in urethram patere debet veſica, qviqve foramini velut appenſus protenditur, & in catheteris immiſſione elevari debet, & in ſtatu naturali valvulæ vicem gerit, involuntarium urinæ effluxum cohibentis, in illâ urinæ incontinentiâ, qvæ ab extenſione nimia colli veſicæ, aut ejus laceratione oritur, non parum in ſitu ſuo immutari.

Nec tamen his cancellis cauſarum agmen circumſcribitur, ſed ſæpè citra omnem violentiam malum oritur, à ſpirituum animalium penuriâ, in toto corpore, eorumqve langvidiori motu in ſenibus, ut & ab eorum influxu per nervos inhibito, qvod in Apoplecticis cernimus. In aliis ſpiritûs ſaltim in qvibusdam locis, & magis iis tantum nervis intercipiuntur, qvi veſicæ ac ſphincteri inſeruntur, ubi ob aliqvalem ſpirituum defectum, vel ob nervorum compreſſionem & pororum ſubſidentium obſtructionem, ſpiritibus ad partes iſtas denegatur tranſitus, qvod in paralyticis videmus, & morbis acutis ac peſti qvandoqve ſupervenit, qvatenus ibi qvoqve nervoſum genus laborat & ſpiritus in motu ſuo turban-

 tur ac

tur ac dissipantur. Hinc qvandoqve à contusione aut luxatione vertebrarum extremarum dorsi seu lumbarium malum oritur; it. à compressione & casu ab alto; si qvidem regioni lumborum & ossis sacri illidatur corpus, qvia juxta nonnullos nervorum ramuli ex hoc osse ad vesicam derivantur; & circulus sanguinis in motu suo turbatur. Talem urinæ incontinentiam *Schenckius L. 3. Obs. p. 486. ex Benivenio notat, in juvene ex arbore delapso*, ultimam spinæ vertebram lædente & *Amat. Lusitanus Cent. 2. Cur. XI. p. 152.* Idem malum ex luxatione extremarum vertebrarum dorsi ortum fuisse observat, vid. etiam *Zacutus Lusitanus L. 2. Med. Pr. Histor. 143. p. 1184.* Sunt etiam qvi solam corporis constitutionem frigidam & humidam accusant, eamqve qvandoqve effectum hunc inducere posse, cum *Riverio Prax.* Medic. *libr. 14. cap. 7. p. 431.* sibi persvadent, qvia sexus seqvior & ætas juvenilis ac senes, ob serosorum humorum abundantiam, huic malo magis sunt obnoxii. Omnia enim qvæ Spirituum animalium motum qvocunqve modo turbant vel sufflaminant, sub causarum militant vexillo, qvò frigus externum qvoqve pertinet, nervoso generi & spiritibus animalibus, si qvicqvam aliud, inimicum, apoplectica ideò excitans Symptomata, teste *Galeno Lib. de morb. differentiis Cap. V.* & Convulsiones juxta *Hippocratem Sect. 5. aphor. 17.* Hinc lapidi marmoreo diutius insidentes, & in aqva frigida moras nectentes in involuntarium urinæ profluvium, incurrisse leguntur, qvale qvid in piscatore observat, *Schenckius L. 3. obs. p. 486.*

Remotarum causarum nomine veniunt omnia, qvæ in majore qvantitate partes superfluas, per vesicam eliminandas, in corpore cumulant, qvatenus partem

tem affectam obruunt, ejusqve fibras successu temporis laxant, ut oneri ferendo impares evadant, & tandem transitum liberum urinæ concedant. Tales sunt errores in diæta commissi, qvi solutionem ciborum in stomacho turbant, & cruditates in corpore cumulant; it. cibi nimis saliti & acres, potus largior, & diureticus, acriumqve & diureticorum usus nimius, à qvibus urinæ incontinentiam ortam fuisse *Forestus* testatur *L. XXV. obs. XXI. p. 532.* & à Trageæ ex pipere longo, Zingibere, caryophyll. galang. Cinamom. &c. paratæ intempestivo usu, idem vidit *Hildanus Obs. Cent. VI. obs. 53. p. 564.* Qvandoq; etiam reliqvorũ viscerum errores luit vesica, qvando illa mandato munere non funguntur, & ab opere secretionis cessant; & ipsa Massa Sanguinea, Salibus Scorbuticis turgida, urinam magis salsam & acrem reddit, qvæ vesicam ad excretionem sui nimium solicitat. Præ omnibus vero renes labem suam in vesicam promptissimè derivant, qvando eorum tubuli & meatûs urinæ secretorii, â particulis Salinis pertranseuntibus, vel lacerantur, vel â tartaro, ibidem in calculum concrescente, extra ordinariè dilatantur, qvi postea urinam per ureterum canales, uberius ad vesicam transmittant. Licet enim capillares sint isti canaliculi, per qvos in papillares eminentias collectos, urina in cavitatem pelvis transit; dilatantur tamen sæpè extraordinariè ab arenulis & calculis, à renibus decidentibus, qvia sunt vasa membranosa, qvæ pro corporibus eliminandis, qvæ semel admiserunt, mirum qvantum extenduntur. Secernere verò solos renes urinam à sanguine, mediantibus glandulis & vasorum configuratione, sola transcolatione & necessitate mechanicâ, sine omni digestione, renibus propriâ, fermentatione, præcipitatio-

 ne,

ne, attractione aut fusione, post *Malpighium* & *I. A. Borellum*, Excell. *Bohnius*, in *Circulo suo Anatomico p. 205. & seqq.* abundè & accuratè demonstravit. Post hunc etiam de breviori tramite, ex primis viis, ventriculo ac intestinis immediatè ad matulam publicam; vel ex ductu thoracico ad emulgentes venas, vel ex vasis lacteis ad arteriam emulgentem, vel per alios obscuros & ignotos meatûs, lotium derivante, non amplius sumus solliciti, nullumqve imposterum viarum meditamur compendium.

Sicuti verò causæ, jam laudatæ, urinæ incontinentiam veram & magis propriè dictam inferunt; ita restant qvoqve aliæ, qvæ magis spurium hunc fluxum involuntarium, si cum *Ettmüllero* loqvi licet, vel qvod aliis placet, immoderatum excitant. Tales sunt gravior vesicæ compressio, qvæ efficit, ut, qvi hoc malo corripiuntur, urinam satis diu retinere neqveant, sed eam sæpius, in exigua qvantitate, sine dolore, reddant, qvod etiam gravidis, ultimis potissimùm mensibus contingit, ob uteri molem auctam, qvæ partes adjacentes in angustiora cogit spatia. Idem malum observarunt Practici, in tumore vesicæ proprio & vicinarum partium, inflammatione musculorum abdominis, & partium in regione pubis vesicæ superjacentium, qvatenus ibi qvoqve de sede suâ deturbatur vesica, & exiguam urinæ capit qvantitatem. Hinc *Galenus Lib. Art. Medicinal. cap. 72. p. 132.* ipsam vesicæ angustiam, ejusqve parvam molem nativam, huic malo ansam dedisse notat, & *Excell. Dn. Præses* idem à calculo vesicæ, ejusdem collo incumbente, moleqve suâ ac asperitate partes nervosas continuò ad excretionem solicitante, in aurifabro observavit.

Omnis etiam fortior abdominis concussio, qvalis

in-

in graviori tussi contingit, in dispositis & ubi fibræ Sphincteris laxiores sunt, ut in senibus, qvandoqve efficit, ut præter intentionem urina elabatur. A fortiori enim ista pectoris commotione totum genus nervosum, & potissimum qvod infimo ventri præest, in consensum trahitur, & unâ cum diaphragmate omnes partes abdominis internæ cum vesica concutiuntur. Tale exemplum in vetula annotavit *Platerus L. 1. obs. p. 206.* & *Bonettus Part. alt. Med. Sept. SS. 27. p. 512. it. Salmuth. Cent. 2. obs. 30.*

Præter has v. causas incontinentiam urinæ, in vigilantibus ac dormientibus, inferentes, dantur etiam aliæ debiliores, qvæ efficiunt, ut saltim in somno urina, citra ægri intentionem, è vesica elabatur. Tales sunt torpor Spirituum animalium, eorumqve motus langvidior, qvi in somno à lympha dulci & partibus sulphureis, spiritus qvasi irretientibus, oritur, & efficit, ut stimulo non æqve fortiter resistat sphincter, & negotiū cervicis non exactè peragatur. Hoc vitio præ aliis laborant infantes ac senes, qvia in illis fibræ sphincteris teneriores & laxiores sunt, in his spirituum penuria jamdum dispositionem aliqvam ad hunc affectum denotat, qvæ, datâ levi occasione, in actum deducitur. His annumeranda venit prava consvetudo, qvæ successu temporis, in multis, in habitum vitiosum degenerat, qvale qvid in puero notat *Timæus l. 5. obs. 22. p. 258.* videtur tamen ad hunc affectum aliqvid qvoqve conferre falsus phantasiæ lusus, qvando per qvietem anima stimulum sentit, & ordinarium excretionis locum sibi fingit, atqve hâc impressione sphincterem recludit, qvod à motu Spirituum inordinato & insufficienti, ubi exigui eorundem manipuli,

 antea

antea consvetum motuum typum langvidius repetunt, forsan deducendum.

Referri huc meretur affectus, de qvo apud *Excell. Dn. Præsidem*, nuper admodum, qvestus est vir, alioqvin benè sanus, nisi qvòd ob vitam sedentariam, hypochondriacis qvandoqve agitetur doloribus; Hic ex multorum annorum consvetudine, de nocte qvandoqve, urgente natura, urinam, arreptâ matula, inter cubandum, reddidit. Nunc vero per aliqvod temporis spatium, plus vice simplici inter mejendum obdormiscit, & ita matulæ oblivìscitur, ut eam in manibus detineat & postea inter dormiendum evertat, ac lectum inqvinet. Huic *Excell. Dn. Præses* autor fuit, ut lucubrationibus moderatius indulgeat, & ita Studiis immoretur, ne iis immoriatur, utqve non amplius inter cubandum urinam reddat, sed ex lecto surgat, qvò Spiritûs, à laboribus diurnis torpidiores, in motum cogantur, & æger, somno qvasi sepultus, ex eo magis excitetur, cum aliàs semisomnis opus hoc naturæ peragat, ejusdemqve manè vix recordetur.

SECTIO III.

De

Differentiis & Signis.

Differt verò affectus hic ratione subjecti & causarum, ubi alia urinæ incontinentia est vera, alia notha; alia recens, alia inveterata; mitior, vel gravior; idiopathica vel sympathica; simplex, l. cum aliis morbis combinata. Præsentiam autē mali indicant vel æger, vel domestici atqve adstantes, qvorum curæ æger est commissus,

missus, ut & stragula ac vestimenta inqvinata, qvæ, tacentibus omnibus, abundè loqvuntur.

In Prognosi verò non æqvè semper certa est prædictio, & sæpè in malo, tam rebelli, dubius ægros manet eventus, cum causarum genium, à qvibus pendet, seqvatur; & pro ratione illarum facilius, vel difficilius extirpetur. Qvia tamen valdè scire avent, qvi cum hoc conflictantur morbo, qvæ salutis spes effulgeat, & anxiè sciscitantur, ideò Medicus aliqvo modo istam soletur solicitudinem. Sit enim licet grave malum; non tamen æqve, sibi relictum, vitæ struit insidias, sed ægri magis saltim misere vivunt, ut mortem in lucro ponant, eamqve impensè desiderent. Plus vero sperare possunt, qvi saltim in somno hoc affectu laborant, qvàm qvi etiam vigilantes eodem corripiuntur, ut & si infantibus ac pueris accidat, cum in illis teste *Timæo l.c.5.258.* sæpe cum ætate sponte cesset, ubi nervi ac fibræ sphincteris musculares majus acqvirunt robur, potissimùm si mentis usq; accedat, qvæ hanc excretionem dirigit, & ægri verecundiæ rationem habere didicerunt. Qvæ vero adultos corripit urinæ incontinentia, & jam inveterata est, ac in habitum degeneravit, & post annum XXV. non cedit, difficulter curatur, & in senibus potissimùm ac decrepitis sæpe non est medicabilis, inprimis si â paralysi, vel alio nervorum vitio, it. rupturâ aut ulcere sphincteris vesicæ graviori, aut profundâ, fibrarum & transversâ incisione oriatur. Similiter in febribus continuis & peste, juxta *Lemii observat. medic. p.253. & Giselerum de peste Brunsvicensi obs. 114.* periculosum est symptoma, deliriis ac convulsionibus & tantum non ipsis petechiis, victricibus mortis trophæis, æqviparandum.

SEC-

SECTIO IV.

De

Curatione.

IN CURATIONE eam in curam omni cogitatione incumbendū est sedulò, ut ad causam retrò respiciamûs, eamqve, qvomodocunqve fieri potest, remediis selectis removeamus. Non enim semper sola Adstringentia & Vulneraria utramqve faciunt paginam; sæpe etiam Nervina, qvæ spiritûs animales restaurant eorumqve vividiorem motum promovent, in subsidium sunt vocanda. Imo præter PHARMACIAM, etiam CHIRURGIÆ auxilium est implorandum, qvæ partes laceras unit atqve firmat, vel saltim, si ulterius progredi non licet, & plus prodesse non possumus, tantisper qvalecunqve, licet interdum miserum, affert solamen; & exacta insuper injungenda est DIÆTA, qvæ humorum acrimoniam temperet, eorumqve uberiorem proventum inhibeat.

Ex CHIRURGIA verò ibi ferè saltim auxilium sperare possunt ægri, ubi incontinentia urinæ ex ulcere, vulnere aut rupturâ oritur; & si reliqva frustrà fuerint adhibita; licet ibi qvoqve interna non planè sint omittenda. Si itaqve post lithotomiam malum ingruat, vitioqve vulneris, cujus labia callosa fuerint reddita, contingat, & ex eodem urina effluat, tunc vulneris istius labia cultello vel lanceolâ leviter sunt scindenda & cruentanda, adhibitâqve, post labiorum novissimè vulneratorum exactam unionem, decenti deligatione, vulneris consolidatio est tentanda, ut urinæ exitus præcluda-

tur

tur. Internè verò vulneraria, qvæ humorum acrimoniam temperant, eorumqve affluxum inhibent, ut & antiſcorbutica & ſangvinem depurantia ſunt propinanda. Si tamen conſolidatio vulneris ex voto non ſuccedat, & urina acrior viam iſtam ſibi ſervet liberam, compreſſulâ admotâ, ope *Bracherii* ſeu *ſubligaculi*, qvod apud *Nuckium Operat. Chirurg. Figur. XI.* reperitur, foramen artificiosè eſt occludendum, & urinæ egreſſus cohibendus. Similiter ſi malum ex vitio ſphincteris oriatur, & alia fruſtra fuerint adhibita, urethra eodem Bracherio eſt ſtringenda, ut urina neceſſariò in veſica tam diu remaneat, donec relaxatâ cochleâ [qva, pro lubitu compreſsâ, comprimitur] eidem exitus concedatur. In foeminis verò hoc ſubligaculum non habet locum, qvia illarum meatus urinarius hoc modo comprimi neqvit, unde ejus loco ibidem inſtrumentum, veſicæ formam habens, aſt complanatum, peculiari oſtio donatum, qvod ſtillantem urinam excipiat, ſubligaculo annexum, muliebribus admoveatur, cujus figuram vide apud *Scultetum in Auct. II.* Poteſt etiam ſola veſica bubula inflata & exſiccata ita genitalibus applicari, ut ſtillantem urinam excipiat; inprimis nocturno tempore, qvod *Platerus* qvoqve *Prax. Med. tom. 3. p. 683.* ſuadet; licet hæc qvoqve non ſemper adeò exactè applicari poſſit, ut non aliqva pars urinæ præterlabatur, ob qvam cauſam *Hildanus Cent. VI. Obſ. LIV. LV. p. 565.* alia inſtrumenta exhibet atqve commendat. Præter Bracherium verò *Nuckius p. 140. Oper. Chirurg.* in ſexu potiori, laudat etiam aliud inſtrumentum ſimpliciſſimum, Poſtomis dictum, qvod habet figurâ XII, qvo urinæ incontinentia, ab aliis qvoqve cauſis oriunda, commodè compeſcitur. Conſtri-

ctiò-

ctionem autem penis vinculo, qvo remedio fœminæ in pueris interdum utuntur, qvia minimè tuta est, & *Bartholinus l. 3. Histor. 52. p. 103.* periculosa inde notavit symptomata, meritò reprehendimus; æqvè ac spongiam ad urinam excipiendam, externè applicandam, non svademus, qvia erosioni ansam præbet, qvatenus genitalia & partes proximas unà madefacit. Melius forsan consulunt miseris, qvi cum *Heerio in Spadacren. p. 193.* Siphonem argenteum, in sexu seqviori, vesicæ immittunt, & alteri ejusdem extremitati lagenam applicant, qvô modo excoriatio cutis & partium adjacentium prohibetur.

Reliqvas operationes Chirurgicas, in hoc affectu parum solamininis promittentes, studiosè premimus silentio, nisi forsan qvis *Venæsectionem* aut *Vesicatoria*, pro ratione causarum, qvandoqve concedenda esse ducat, eaqve, si febris vel impuritas sanguinis scorbutica urgeant, vel à casu aut sanguine extravasato ac grumoso malum oriatur, commoda reperiat.

Maximam verò spem in remediorum internorum efficaciâ collocamus, qvæ *ex Pharmaciâ* petenda, & ita seligenda sunt, ut causarum rationem habeant, & non minus solidis, qvam fluidis corporis partibus ferant suppetias. Faciunt hoc tam Vulneraria, qvàm antiscorbutica, item adstringentia & nervina, qvæ tamen non rarò, pro ratione causarum concurrentium, miscenda sunt, cum in laceratione vesicæ & sphincteris, hujusqve dilatatione nimiâ, plurima conveniant & commodè maritentur. Sæpè etiam adeò à statu naturali recedunt humores, ut horum aliqvi emendari neqveant, & in tantâ peccant qvantitate, ut aliqva eorum pars *Purgantibus*

ne-

necessariò sit eliminanda. Ibi verò nullo modo fortiora sunt adhibenda, qvibus malè sani imperitis imponunt, & famam aucupantur, laudemqve à crimine ducunt; cùm ista vires deprædentur, & spiritus heluonum in morem liguriant, ac colliqvando contenta corporis, malum potius augeant, & in majori qvantitate urinam foras propellant. Sufficiunt itaqve nobis blandiora evacuantia, qvæ mitius operantur, & primas saltim vias à Saburrâ liberant. Talia sunt *rhabarb. fol. senn. meobiacan. alb. agaric. aloetica, gialapa* in refracta dosi, & exinde parata; *Spec. c. diasen. diagal. M. extraoft. rhab. &c.* Hæc enim serum acre divertunt & ad intestina evocant, efficiuntqve, ut partes impuriores tartareæ, ad massam sangvineam transituræ, in ipso motu intercipiantur; unde in scorbuticis potissimùm, & ubi urina acrior peccat, sunt exhibenda.

Non minorem effectum pollicentur *Sudorifera* temperata ex *antimon: diaphoret. Bez. & l. mineral. antimon: & l. cachert. CC. phil.* & *usto, ebor. s. △e, unicorn. fossil. Lap. 69. coralliis rubris, Terrâ Lemn. sigillat. &c.* parata, qvæ spicula ⊖na infringendo acrimoniam lymphæ temperant, & partes inutiles per poros corporis evacuant, *Volatilia* verò si adhibentur, ut Spiritus ⊖✱ci, *ebor. Bez. Bussii. CC.* ⊖ *vol. CC. &c.* qvalia in Paralyticis, Apoplecticis & Epilepticis conveniunt, magis cum aliis, & interdum ipsis Opiatis, (nisi magna spirituum penuria eorum usum dissvadeat) sunt miscenda, ne serum reddant fluxilius, & stimulum majorem vesicæ impertiantur.

Magis verò *Appropriata* & *Specifica* communiter ita dicta sunt, si malum ex dilatato sphinctere vel vulnere, ut & ab abundantia ⊖ium scorbuticorum oritur:

 rad.

rad. helen. Cichor. Symphyt. chin. Sarsaparill. tormentill. bistort. fol. plantag. hed. Terrestr. veron. consolid. santicul. millefol. agrimon. flor: b.alaust. hyperic. rosar. papav. errat. L. aloes, rasur. L. sanct. Sassafr. Santalor. Lap. 69. Terra Catechu, Lemn. sigillat. bol. armen. &c. it. corallia, unicorn. fossil. medull. saxor. sangvis dracon. myrrh. mastich, ♂lia, Lapis hæmatit. Crocus ♂tis niger, adstringens, NM. & ex his parata, decocta, essentiæ, extracta, pulveres, v. g. *TR. catechu, Corall. ♂t. cydoniat. Ess. travmat. Dn. D. Wedel. & Dn. Præsid. L. aloes, TR. ♂tis balsamic. essent. Lignorum, pulvis styptic. Dn. D. Wedel. & Dn. Præs. Spec. diaplantag. Myns. correctæ, pulvis cachect. Q. flegnot. Guttmann. essent. Vitrio ♂t. liqvor ♂l.* & *Opiata* ritè parata. Si vero acrimonia □æ urget, præter jam laudata, conveniunt ex *Semin. papaver. phyll. cydon. glycyrrh. passulis* &c. parata, qvo modo Circumforaneus decocto ex ficubus, uvis Corinthiacis, passul. & glycyrrhiz. fœminam, per septem annos incontinentiâ urinæ laborantem, apud *Bonettum Med. Sept. l. 3. ff. 27. c. 13. p. 797.* dicitur restituisse.

Contra si à nervoso genere, malè affecto, malum dependet, prosunt magis, *castorina, salia volatilia* Cinnabarina & omnia nervina; *essent. castor. castoreũ in substantiâ & extracto, essent. succin. ⊖ vol. CC. succin. non fixata spiritus, Ebor. formicar. urinosus, Bezoard. Bussii, lumbric. terrestr. CC. ⊖*c. cran. human. ungul. alc. & qvæ ex radic. pæon. caryophyllat. galang. irid. flor. fol. betonic. meliss. menth. rosmarin. salv. majoran. chamædr. chamæpith. flor. anthos. Lil. convall. sem. cardomom. pæon. cubeb.* & similibus conficiuntur.

Qvæ verò practici vulgò pro *Specificis* venditant, undecunqve conqvisita; & in cœlum evehunt, Jovemqve

qve lapidem jurant, sub Sole meliora non existere, iis temerè non est fidendum; cùm ad rem si perveneris, famam raro sustineant, spemqve sæpè fallant ac frustrentur. Sunt verò potiora: *aprorum porcorumqve* it. *bovis, capræ, ovis atqve piscium vesicæ exsiccatæ, leporis atqve vulpis testiculi & cerebrum, caput leporis cum pelle ustum & in cineres redactum, cerebrum vulturis, gallinarum guttur tostum, tunicæ interiores stomach. gallinar. piscium, in ventre lucii repertorum & exsiccatorum, pulveres, mures in butyro elixi vel exsiccati & pulveri sati, cum ovo sorbili vel potu assumpti: it: lingva anseris, ungula apri torrefacta, stercus leporis & capræ, avellanæ assatæ, pulmones hoedi tosti, pudendum suillum, in cineres redactum, vel coctum aut assatum, & in forma farciminis exhibitum, qvod Ammanus in Irenico p. 257.* qvoqve refert *it. erynaceorum combustorum cineres,* qvi teste *Ettmüllero oper. suor. p. 385.* Medicum per 20. annos hoc affectu laborantem, restituisse dicuntur, & à *Michaele* etiam commendantur, pulveremqve *Montagnanæ* ac *Hechsteteri* contra nocturnam urinæ incontinentiam, cum *stomachis gallinar. mastich. galang. agrimon. lap. 69. alchimill. cupul. gland. & nuc. myrist.* constituunt. Si tamen horum aliqva qvandoqve laudatum edunt effectum, & malum ab iisdem profligetur, propter solas partes terreas adstringentes & gelatinossas admistas hoc ipsum præstare videntur; unde qvoqve cineres harum partium, vel integrorum animalium, non tam efficaces crediderim, qvàm partes & animalia ipsa exsiccata & pulverisata, licet animalium cineres non æqvæ copiosam salium fixorum qvantitatem possideant.

Tandem *Externa* qvoqve in subsidium sunt vocanda, qvæ licet stent post principia, omni tamen effe-

ctu non carent, imò interdum internis, in hoc affectu, palmam præripiunt. Inter ea verò primo loco hic nominanda sunt *Balnea*, tàm *naturalia*, qvàm *artificialia*, qvæ tepore suo partes solantur & spiritûs torpidos exsuscitant, eorumqve motum naturalem restituunt. Si verò partes martiales & aluminosas secum vehunt, tunc fibras laxas unâ roborant & non uno nomine commendanda veniunt; licet in hâc adstrictione iis solis non semper nimiùm sit tribuendum. Cum successu itaqve adbibentur potissimùm in paralitycis & frigidioribus, ac ubi malum à debilitate nervorum & spirituum langvidiori motu, vel frigore externo, oritur; ubi â *Timæo l. 5. Obs. XXII. p. 288.* Thermæ, sulphuris & salis mineras vehentes, præ aliis commendantur, qvi, si qvæ spes sanitati superest, eam in harum usu recto & continuato constituit. Naturalium verò Balneorū vicem non raro supplent artificialia ex *rad. bistort. tormentill. Symphyt. herb. menth. tormentill. meliss. betonic. rosmarin. salv. lavendul. primul. ver. pol. montan. serpill. origan. fol. qverc. myrt. flor. balaust. rosar. cupul. gland. gallis, cortic. granat. baccis myrt. O, Vitrioli &c. parata.* Possunt etiam ex speciebus jam laudatis & plurimis aliis nervinis ac adstringentibus fieri sacculi, pubi applicandi, & in aqva fabrorum, vel in qvâ tegulæ ignitæ sæpè fuere extinctæ decoqvendi. Non verò sufficit semel atqve iterum talia usurpasse, sed repetendus horum est usus, & per mensem interdum est continuandus; licet, si in eodem excedatur, obstructio mensium qvandoq; oriatur. Sunt etiam qvi folia nicotianæ recentia, in aqva plantaginis vel vino rubro cocta, vaginæ uteri applicant, qvod magis in illâ urinæ incontinentiâ locum habere videtur, qvæ pendet ab acri-

ex

moniâ salinâ, partes istas & sphincterem vesicæ nimium irritante.

Post balneorum usum, regioni pubis *Linimenta ex aqvæ apoplect. Nimani vel Excell. Dn. Præs. vel Spiritu Lil. convall. aut spic. cum Sp. salis ammon: & oleo spicæ animati; it. ex Spir. lumbric. terrestr. formicar. Ol. formicar. anth. &c.* parata, sunt illinenda, qvæ spinali qvoqve medullæ applicari possunt, si malum à casu in partem illam oriatur. Qvæ vero communiter commendantur *Ungventa*, ut *nervinum & martiatum cum Ol. mastich. castor. cydon. myrtin. &* similibus, vix penetrant, & exiguum effectum pollicentur.

Plus etiam ab *Emplastris* in hoc affectu vix possumus sperare, qvàm ut partes subjacentes foveant, & aeris externi arceant injurias, unde qvibus eò fine *emplastr. de betonic.* & *Oxycroceum* juxta *Zvelfferum* correctum, vel quæ *Sennert. l. 3. pr. part. VIII. ss. 2. c. 7. p. 887.* & *Riverio l. 14. prax. p. 432.* ex mastich. ladan. styrac. calamit terebinth. &c. parata placent, cum oleo spic. castor. &c. vertebris lumborum applicare commodum fuerit visum, iis non refragabimur.

Qvibus vero *Suffimigia* arrident, illi eadem ex *thure, mastich. fol. qvercin. myrt. laur. gallis* &c. possunt incendere. Licet enim ignis magis salinas rodentes & aperientes elevet particulas, ipsis tamen terris quoque & adstringentib9 idem quasi alas addit, ut hæ qvoq; formulæ quandoq; cum effectu fuerint adhibitæ. Agmen tandem remediorum externorum claudunt *Amuleta*, inter quæ famosissimum est, quod ex pulvere Bufonis vivi, in olla recenti calcinati, conficitur. De eo enim testatur *Heerius* in *Spadacr. Obs. 14. p. 194.* Fœminam istam, cui

cui vesica, per obstetricis imprudentiam, fuerat lacerata, perfectè fuisse curatam, postquam, quod à Cingaro fuerat edocta, pulverem istum sacculo inclusum, & de collo appensum, gestaverit. Addit quoque, laudatus Autor, experientiam propriam, & docet, quomodo felici cum successu, idem remedium in Mercatore, qui â Lithotomo imperito male fuerat tractatas, adhibuerit. Confirmat hanc experientiam ulterius *Illustris Boyle Philos. Expriment. Exercit. V. p. 280.* testaturque, pulverem hunc à Medico quodam solertissimo bis vel ter cum successu in usum fuisse vocatum; cum quo etiam faciunt *Paulinus tract. de Bufone p. 107. Ettmullerus in Prax. Wolffius in scrutinio Amuletorum, p. 460.* & multi alii, qvi omnes pulverem hunc magnis extollunt laudibus, effectumque ejus mirum quantum depredicant. Verum enim vero Excell. Dn. Præsidi nondum tam felici esse licuit, ut ab hoc pulvere, externè applicato, semper desideratū effectum nancisceretur. Bis enim frustra se eundē adhibuisse affirmat; semel cum successu, sed unà cum internis, & semel etiam saltim mitiùs degisse ægram observavit. Hinc huic quoque Amuleto tantum non esse tribuendum suspicamur, quantum quidem viri laudati de eodem jactant, cum ipse *Boyleus loc. cit.* affirmet, spem Medicum istum, experimentum hoc tentantem, semel atqve iterum fuisse frustratam, & reliqvi magis aliorum fidant experientiæ Fatetur tamen etiam *Excell. Dn. Præses*, se propter ægrorum incuriam, sæpius non renovasse pulverem laudatum, qvod ægra apud *Boyleum* fecit, cum tamen vires ej9 successu temporis deficiant. Mod9 itaq; agendi huj9 Amuleti, de qvo ne quidē mussitant Autores, si conjecturæ loc9 est, consistit forsan in subtilium corpusculorum

rum exhalatione, quæ poris corporum & Massæ Sangvineæ se insinuant, non secus ac vitriolum externè applicatum, imò in distans in pulvere sympathetico hæmorrhagias quandoque sedat, & alias humorum compescit fluxiones. Licet enim in cineribus vix exhalationi apta corpuscula residua esse videantur: nihilominus qvia solidissima corpora suis quoque gaudent effluviis, & ipsa metalla, mineralia atque gemmæ iisdem copiosis abundant; æque ac Vitriolum ipsum, etiam postqvam tortorem ignem sustinuit; ideò huic qvoqve Cineri effluvia non omnia denegaverim. Accedit, qvod calor corporis, cui appenditur, sopitas qvasi particulas forte exsuscitet, æqve ac succinum ab accedentibus solis radiis vim attrahendi paleas acqvisivisse *à Boyleo* fuit notatum; & sicut corpora electrica frictione armantur qvasi, ut corpora leviora fortius alliciant.

Reliqva *Amuleta*, ut *cornua scarabæorum* infantum collo suspendenda, qvorum Wolffius loc. cit. meminit: item *ranam viridem*, qvam per medium sectam regioni renum applicat *Ettmullerus Prax. p. 386.* studiosè prætermittimus, qvia, an experientiâ aliorum nobilitata sint, non meminimus.

In DIÆTA ægri abstineant à vino diuretico, & omnibus aliis urinam moventibus; sitq; potus parcior, potissimum anteqvam cubitum eant, in illis qvi de nocte hoc malo infestantur, potest quoque *vinum chalybeatum* exhiberi vel *rubrum & subausterum*, it. decoctum hordei cum CC. & rad. tormentill. vel bistort. paratum; qvibus etiam cerevisia potest reddi medi-

D cata

cata. Monendus qvoqve est æger, ut ante ingressum in lectum vesicam exoneret, quò fine nonnulli mediâ nocte tales excitant, eosqve de urinâ reddendâ commonefaciunt. Cibi minus sint acres, non nimium saliti aut fumo indurati, & qvod qvibusdam placet, si ægro visûm fuerit, in aqvâ ferratâ decoqvantur.

LaVs sIt pæonIæ tVrbæ regIqVe DVCIqVe
IesV, qVI Morbos re potIs arte fVgat!

CEdant DISTELIO sentes, spinetaq; cedant
Nam roseam Phœbi calcat ad astra viam.

Nobilissimo Dn. Candidato bene precatus dedit

Jo. Georg. *Neumannus*, D.
Acad. Rector.

QVæ *bona Naturæ* pariter sunt *optima* Summi
Dona Creatoris, mens ea recta docet.
Hæc dedit ipse DEUS, servatqve per omnia secla;
His *Natura bonis* utitur usqve *modis*.
Ast ea corrumpit *varius* varium per abusum
Morbus, sic fiunt, qvæ bona, sponte mala.
Omnibus hinc *morbis* prudens *Medicina* paranda,
Transeat ut *Medici dexteritate* malum.
Urinæ pravos hæc *Pagina Docta meatus*
Corrigit, atqve *malum* tollit id *Artis ope*.
Per facili cura qvoqve *Morbi cætera damna*
DISTELIUS MEDICUS DOCTOR ab Arte secet.

Johannes Deutschmann / *D.*

Eri-

Erige Te his, Invicte, bonis, fortiqve malignæ
Finge parem: virtus prospera cuncta dabit.
Ista viam faciet, qvam munit ad æthera fama,
Ista tuis studiis præmia digna tulit.

Jo. Gottofredus Berger, D.

NE Te pœniteat Medicorum castra secutum,
Et Medicas ægris adhibuisse manus,
DISTELI: Medicum sibi nam qvæsivit Hygaea,
Te venerata suum: Te Medicum voluit.
Ut solet: Invitos virtus qvoqve qværit & ultro,
Blandis hos dictis nobilis ambit honos;
Hinc qvoqve meta Tuos tandem qvæsita Labores
Excipit & totum læta coronat opus.
Sic sane pressa diu prorecta resurgit in altum
Splendidius meritis debita palma Tuis:
Sis felix & porro Tuos comitentur honores
Gloria, vita, salus, qvicqvid & ipse cupis!

Honoris & Amoris ergo.
scrib.

Christianus Vater / D. PP.

QVotqvot habet Phoebus Lauros Laudisq; Coronas,
Tot Te nunc omnes non sine laude manent.
Ille audit Sophies, Artis Medicæ atqve Poesis
Ductor, Tu Doctor dignus in arte triplex.

Lau-

Laudo conatus, ſtudium vitamqve modeſtam,
Leucoris & laudat dona decora Tua.
Gratulor idcirco hos auſus & Præmia ſumma,
Fataqve ſint meritis ſplendida porrò Tuis!

Ita Clariſſimo Dn. Candidato ex animo gratulatur

PRÆSES.

NUnc ades, alme parens Medicorum, Phœbe, labanti,
Adde novas vires, perpetuumqve decus.
Lumen in orbe tuum dignam fortunet honorem:
Promoveant doctum proſpera fata caput!

Sic Nob. Dn. Candidato ex gravi morbo vix convaleſcenti novum honorem gratulatur.

C. Warlitz. D.
Archiater.

NOn tribulos ſpenaſve Tuus, Clariſſime DISTEL,
Sed properat ſegetes rite tuliſſe labor.
Reſtat, confectum mox meſſis læta ſeqvatur,
Excipiant meritis digna brabea Tuis.

qvæ ex animo precatur Nobiliſſ. Tuæ CLARITATI obſtrictiſſ.

M. J. A. Planerus.

